



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punct. Diff. 1. Præmittuntur quædam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

Punctum Difficultatis 1.

Premittuntur quædam.

PRÆMITTO 1. *Duplicem à Nostris poni scientiam conditionatam.* Quandam directam, & quandam reflexam. Directa est, quæ respicit simpliciter futuritionem conditionatam à suis causis necessariò requisitis conditionatè dandis, reflexa est, quæ respicit futuritionem conditionatam non utcumque sed prout pendentem ab aliquibus causis conditionatis, præsupponentibus ipsam futuritionem conditionatam. Prioris exemplum est. Si tali vocatione vocaretur, consentiret. Secundæ exemplum est. Si præsupposito consensu prædefinire illius consensum, non impediret voluntas, ne fieret prædefinitio, fieretque consensus. Hæc Divisio etiam in principiis nostris tenetur: quia etiam nos admittimus prædefinitiones actuum bonorum, adeoque obijci illas prædefinitiones conditionatè positas, conditionatè scientiæ.

PRÆMITTO 2. *Duplicem etiam quosdam ponere infallibilitatem objecti Scientiæ conditionatæ.* Quandam infallibilitatem simpliciter, & aliam infallibilitatem ex suppositione, infallibilitatem priorem præcedere ipsam scientiam conditionatam, posteriorem subsequi non nisi eandem. Prioris exemplum ponunt. Si vocaretur tali vocatione consentiret, posterioris exemplum, ex suppositione si vocaretur, consentiret. Huius infallibilitatis distinctionem innuit Fassolus in parte q. 14. art. 13. num. 511. additque infallibilitatem reflexam cadere non solum supra effectum, sed etiam supra voluntatem & conditionem: quia per illam non solum habetur effectus determinatus futurus simpliciter sub conditione à causa libera, sed etiam futurus infallibiliter: ita ut causa non possit non esse, se liberè determinatura ad illum effectum, & conditio per suam præmotionem non possit non esse, habitura eundem effectum. Ut hæc divisio expendatur.

PRÆMITTO 3. *Futuritionem Conditionatam, & suppositionem futuritionis conditionatam non esse idem formaliter.* Ratio, quia directum & reflexum non sunt idem formaliter, suppositio autem futuritionis, habet se per modum reflexi. Quæ ipsa futuritionis suppositio duplex adhuc potest cogitari. In primis suppositio objectiva, seu objectum notitiæ & suppositio formalis seu relucencia in intellectu supponentis, v. g. Dei. Et hæc suppositio formalis est distincta à futuritione conditionata: quia futuritio conditionata est quid creatum, relucencia autem illius, est quid increatum nempe actus divinæ mentis. Et de hac suppositione formali nihil est quod dicatur in præsentia.

PRÆMITTO 4. *Futuritionem conditionatam & suppositionem futuritionis objectivam esse idem*

in re. Ratio. Tum quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, nec apparet, quid reale suppositio illa addat. Tum quia intrinseca determinatio suppositionis, est ipsa futuritio conditionata; hoc ipso enim non esset intrinseca, sed ab extrinseco, sed suppositio futuritionis realiter accepta est intrinseca determinatio futuritionis, quid enim aliud? Ergo suppositio futuritionis realiter loquendo est ipsa futuritio conditionata. Tum quia, separa à futuritione conditionata illam suppositionem futuritionis realiter superadditam, vel est quod est, vel non est, quod est. Si non est quod est. Ergo non est futuritio conditionata. Si est quod est. Ergo, est suppositio sui: quia suppositio sui ad se, est cum esse supponitur sibi. Si autem est quod est, hoc ipso est supponitur sibi. Quod si futuritio conditionata & suppositio futuritionis sunt idem in re, tunc à quo realiter loquendo habetur futuritio conditionata, eaque intrinseca, ab eodem habetur suppositio futuritionis objectiva realiter loquendo: hoc ipso enim non esset idem realiter. Cumque futuritio conditionata in re habeatur secundum esse intrinsecum ab ipsismet prædicatis suis, etiam suppositio illa in re habeatur ab iisdem prædicatis.

PRÆMITTO 5. *Suppositionem futuritionis objectivam haberi formaliter ab ipsamet illa.* Ratio. Tum quia esse hominem, habetur intrinsece formaliter ab ipsomet esse hominis, vel Animalis Rationalis. Ergo & suppositio futuritionis objectiva, habetur formaliter ab ipsamet illa. Tum quia suppositio objectiva alicujus ad se, est esse quod est, ut immediate ante dictum. Unde si non esset hic terminus suppositio, & relinqueretur hic terminus esse quod est, æquè plenus haberetur conceptus suppositionis objectivæ alicujus ad se, quod nota est suppositionem objectivam sui ad se, esse idem formalissimè cum esse quod est, ad eum modum, quo si æquè plenus haberetur conceptus objectivus de homine etiam si non esset ullus terminus ly homo, & relinqueretur solum ly Animal Rationale, signum esset hæc duo formalissimè idem esse. Sed unumquodque quod est esse quod est, habet ab ipsomet suo esse, adeoque & futuritio conditionata suppositionem sui habebit ab ipsamet illa suppositione objectivè spectatà. Tum quia suppositio absolutæ existentiae non habetur à scientia visionis, nec suppositio possibilitatis, habetur à scientia simplicis intelligentiæ. Ergo neque suppositio conditionata objectivè spectatà habebitur à scientia conditionata.

Solvuntur objectiones.

DICES I. Cum Fassolo. Non sunt formaliter idem intelligibile objectum, causam liberam operari hoc simpliciter, & causam liberam operari hoc, ex suppositione quod operetur hoc, estq; hoc manifestum in terminis: quia præ-

num est liberum, estq; proficiscens à causa libera ut potente non operari hoc, secundum autem est necessarium proficiscens à causa libera, ut non potente operari hoc. Ergo cum futurum conditionatum sine suppositione pendeat à potentia indeterminata ad unum, futurum autem conditionatum ex suppositione pendeat à potentia determinata ad unum, impossibile planè est, ut idem sub eadem præcisè ratione formali sub qua est futurum conditionatè, simpliciter sit futurum ex suppositione.

RESPONDETUR. Concedendo Totum. Dicitq; potest, quòd positio futuritionis conditionatæ habeatur causaliter & effectivè, ut ita dicam à ipsamet causa ex suppositione operata. Sed nego quòd suppositio futuritionis conditionatæ objectivè & constitutivè habeatur à illa causa, sicut effectivè unaquæque res habet esse suum à causa, objectivè autem à suis principijs intrinsicis. Concedo item simplicem futuritionem absq; suppositione importare ipsam esse: Suppositionem autem futuritionis importare esse & compositionem esse; quòd indicat illud Axioma: Omne quod est, quando est, ne cesse est esse. Sed inde non sequitur, quòd objectiva suppositio futuritionis habeatur aliud, quàm à seipsa. Sicut & ipsa illa compositio.

DICES 2. cum eodem. Esse, potest in ordine ad suam causam considerari dupliciter. 1. Ut formaliter pendens à causa. 2. Ut simpliciter concomitans causam præscindendo à prædicta dependentia. Primo modo Esse comparatur ad causam sub potentia ad non esse, si causa illa est libera. Secundo modo, Esse, non potest comparari ad causam sub potentia ad non esse: quia compararetur ad contradictorium ejus, quòd cum ipsa est concomitanter. Futurum conditionatum simpliciter, respicit priorem illam causam, futurum autem conditionatum ex suppositione importat esse ut concomitans causam. Hæc autem duo esse, non sunt formaliter idem objectivum verum. Quòd etiam infra alià methodo urget.

RESPONDETUR. Concedendo Totum. Necque enim in hoc est difficultas, an prædictæ duæ formalitates sint distinctæ, sed supposita illarum distinctione, an ab aliquo intrinseco per prius haberi possint.

DICES 3. cum eodem. In effectu conditionato libero determinato, quamvis profecto à causa libera indeterminata duplex suppositio est: distinguenda. Altera extrinseca per ordinem ad suam causam: Si enim supponitur futurum à sua causa, non potest non esse ab illa futurum. Et altera est intrinseca per ordinem ad suum contradictorium, quæ suppositio est universalissima, & ideo considerari potest in ipso Deo, qui etiam ex eo, quòd supponatur esse Deus, non potest esse simul Deus & non Deus.

Hæc ipsa suppositio intrinseca considerari potest. Vel primò formaliter, concipiendo non solum hoc, sed hoc non posse esse non hoc, ex eo, quòd supponatur esse hoc. 2. Potest accipi fundamentaliter concipiendo scilicet non nisi hoc. Ex quo ulterius infert infallibilitatem ex parte ipsius effectus in se præcisè considerati, convenire futuro ex suppositione intrinseca non formali, sed fundamentalis: hæcque solà est objectum præsuppositum scientiæ conditionatæ. Cujus Rationem dat. Quia ad hoc ut intelligamus divinam præscientiam de tali objecto esse omninò infallibilem, non est omninò necessarium, ut illius præscientiæ præcedens objectum sit, non solum hoc determinatum, sed etiam non posse hoc determinatum esse non hoc; imò hæc impossibilitas verè est quid posterius & consequens fundatum in hoc determinato, cum prius in unaquaque re sit esse id quòd est, quàm non esse aliud à se distinctum, & sibi oppositum.

RESPONDETUR. Concedendo distinctionem duplicis suppositionis extrinsecæ & intrinsecæ. Concedo, intrinsecam suppositionem posse esse aliam formalem, aliam fundamentalem. Concedo, solam fundamentalem suppositionem sufficere ad hoc, ut scientia conditionata, suppono directam, ferri possit in illud objectum conditionatum. Sed nego formalem illam intrinsecam suppositionem objectivè acceptam non posse haberi ab illamet ipsa. Concedo. Illam suppositionem intrinsecam formalem esse posteriorem suppositione fundamentali intrinseca. Sed nego, esse posteriorem scientiæ conditionatæ reflexa, ut ita dicam. Urgetq; inter alia paritas. Si futuritio conditionata fundamentalis præcedit notitiam conditionatam directam. Ergo & suppositio conditionatæ futuritionis præcedet scientiam conditionatam reflexam. Concedo quidem, suppositionem esse sui ad se, in quantum infert formales reduplicaciones, non esse nemine cogitante: hæc enim reduplicaciones sunt opus intellectus. Sed nego objectum illarum non haberi nemine cogitante.

DICES 4. cum eodem. Scientia conditionata, non quidem ut causa infallibilitatem intrinsecè causans, sed per extrinsecam denominationem causat summam infallibilitatem in causa libera, ita ut effectus futurus infallibiliter à causa indeterminata, prout illa subest scientiæ, intelligatur effectus ut infallibiliter futurus, quòd ipsum probat Auctor. S. Th. 2. 2dæ. q. 1. art. 3. ad 2. & q. 6. de verit. ar. 3. & q. 14. a. 8. ad 13. & quotl. 12. q. 3. a. 3.

RESPONDETUR. Negando infallibilitatem illam ipsam quam appellat Falsolus summam, primò accipi ab ipsamet scientia. Sed pullulat ex conditionata futuritione: Nam ratione nostra, prius est ipse effectus futurus conditionatè,

(K) 4 item,

item, suppositio etiam objectiva futuritionis, secundum jam dicta, præ ipsa scientia noscente illam futuritionem. Rursus, si scientia conditionata non causat illam infallibilitatem intrinsecam, & si illam continet in se intrinsecè ipsa futuritio conditionata, hoc ipso, illa infallibilitas per prius habetur ab ipsamet futuritione. Denique, si concedat arguens infallibilitatem intrinsecam haberi ab ipsamet futuritione, si concedat infallibilitatem extrinsecam, quæ habetur à scientia conditionata divina, hoc sensu esse summam, quia proveniens extrinsecè ab actu divino, de hoc non erit difficultas, nam dici potest, Petrum esse hominem, idque infallibiliter infallibilitate summâ, hoc est divinâ, haberi à scientia Dei noscente Petrum, esse hominem. Auctoritates in oppositum non probant primam infallibilitatem futuritionis conditionatæ haberi à scientia divina.

INSTAT Idem. Dicitq; se non negare, quod in effectu conditionatè futuro, habeatur etiam infallibilitas ex parte causæ, orta ex suppositione ipsiusmet effectus futuri, nec dicit se contendere, quasi infallibilitas orta ex suppositione effectus sit minor infallibilitate orta ex præsuppositione scientiæ; utriusq; enim oppositum implicat contradictionem, nec contendit infallibilitatem ex suppositione scientiæ esse priorem infallibilitate ex suppositione effectus: Potest enim utraque poni in eodem signo; contendit tamen inter illas infallibilitates esse notabilem differentiam: quia infallibilitas ex suppositione præscientiæ oritur ex aliquo distincto à futuro conditionato simpliciter, & ideo purificatâ conditione transire potest in futurum absolutum simpliciter. At verò infallibilitas ex suppositione ipsiusmet futuri non oritur, nisi ex ipso: futuro conditionato simpliciter, in quantum tale est formaliter, & recipitur in futuro conditionato ut formaliter involvente seipsum quatenus conditionatum; proinde purificatâ conditione non remanente futuro ut formaliter conditionatò, sed transeunte in absolutum, non potest illa infallibilitas manere absoluta. Sed ut habeatur infallibilitas absoluta, debet intelligi alia suppositio ex futuro absoluto simpliciter.

RESPONDETUR. Concedo, esse differentiam notabilem inter infallibilitatem ortam ex suppositione præscientiæ, ab infallibilitate orta ex suppositione futuritionis: quia illa est posterior, hæc prior, quia illa habetur formaliter ab aliquo divino, hæc, ut supponitur, ab aliquo creato, loquimur enim de futuris conditionatis creatis: illa habetur ab eo quod existat physicè in mente divina, hæc habetur nonnisi objectivè. Concedo, quod infallibilitas orta ex suppositione præscientiæ, oriatur ab aliquo distincto à futuro conditionato. Concedo, quod purificata conditione transeat, ut ita dicam,

scientia conditionata in absolutam. Sed nego, purificata conditione, non transire, ut ita dicam, effectum conditionatum in effectum absolutum. Concedo, quod ut habeatur infallibilitas absoluta, debeat intelligi alia suppositio ex futuro absoluto simpliciter, sed quærere restat cur hæc futuritio absoluta non poterit convenire & haberi primo ab ipso futuro conditionatè, ob purificatam conditionem transeunte in absolutum, præcipuè cum assumamus non ideo aliquid futurum, quia noscitur futurum, sed ideo noscitur quia est futurum.

DICES V. cum eodem. Futurum conditionatum non habet unde possit desumere infallibilitatem. Non ex causa: quia hæc indeterminata; non ex seipso: quia hic quæratur de infallibilitate effectus per ordinem ad suam causam, non per ordinem ad suam intrinsecam entitatem. Non ex decreto Prædeterminante. Ergo debet haberi ab ipsamet scientia.

RESPONDETUR. Quamvis hic quæratur de infallibilitate effectus per ordinem ad suam causam, sufficit illam derivari titulo correlationis ex ipsamet suppositione effectus: Si enim effectus ex suppositione est infallibiliter futurus, etiam causa ex suppositione est illum infallibiliter causatura, habebiturq; infallibilitas ex vi prædictæ correlationis, licet non habeatur per prius à scientia conditionata. Videantur dicta in prima parte; An scilicet effectus conditionatus possit nosci, in causa prout operatura.

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Tenenda.

ASSERO I. Non esse necessariam scientiam conditionatam ad collationem auxilii ut sit.

RATIO. Tum quia antecedenter ad consensum conditionatum gratiosum, est necessaria collatio auxilii, & tamen tunc non datur antecedenter scientia conditionata: Non enim antecedit suum objectum. Ergo apparet non esse necessariam ad collationem auxilii ut sit, Scientiam conditionatam. Tum quia scientia simplicis intelligentiæ est causa aliorum. Ergo est causa & fabricationis auxilii, quo posito, non urgetur. Scientia quæ est causa fabricationis auxilii, est sufficiens, ut præluceat voluntati conferendi auxilii: Non est enim major ratio de uno quàm de alio. Præcipuè autem cum hic agatur de voluntate collativa non efficacia auxilii quâ talis, nec sufficientis quâ talis, sed auxilii pro aliquo signo abstrahentis à ratione efficacia vel sufficientis. Tum quia. Posito, quod præluceat collationi auxilii scientia simplicis intelligentiæ, non ferretur adhuc voluntas, in incognitum; & si aliis eventis potest præluce- re scientia simplicis intelligentiæ, non apparet, cur auxilium abstrahens à sufficienti & efficaci debeat